



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

XII. Quibus in euentibus licitum sit promissionem acceptatam non exequi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

PUNCTUM XI.

Expenduntur promissiones iure naturali, & politico irritae.

1. Promissiones quibus aliquid perniciosum vel inutile promissum est irritae sunt.
2. Promissiones de re promittenti impossibili irritae sunt utroque iure.
3. Ex incapacitate promissarii, & impotentia promittentis promissio nulla est.
4. Ex occasione peccandi redditur promissio irrita.
5. Item ex impotentia ad restituendum.
6. Item ex periculo captanda mortis.
7. Item ex libertate matrimonij.
8. Si iuramento promissiones in ultima firmentur placet pluribus obligare.
9. Deciditur questio.
10. Facto dicto iuramento relaxatio concedi potest à Prelato.

Quoad ius naturale atinet promissiones quibus aliquid perniciosum & inutile offertur irritae sunt, quia iure naturali & diuino tenemur abstinere ab actionibus praedictantibus, & inutilibus, ut de se est percipiendum.

Secundò tam iure naturali quam politico sunt irritae promissiones de re promittenti impossibili, quia executioni mandari non possunt. Sunt autem impossibiles, tam ex facto, tum ex iure. Ex facto si rem determinatam, & singularem promittas, quae tempore promissionis, vel post perit, nam eo euentu promissio est de re impossibili, tenens tamen ad illius affirmationem si perit cum effectus in mora solvendi non quidem ratione promissionis, sed ratione culpae commisse ob non redditam rem domino suo tempore. Ut colligitur ex leg. inter stipulantes in §. Stichum, et leg. scire §. ult. ff. de verb. obligat. Ex iure autem sunt impossibiles promissiones quoties promittuntur quod iure ipso verum est, siue verum sit iure naturali, siue politico, nam id possumus, quod iure possumus. Huc reducuntur promissiones facti alieni, nam cum tibi datum non sit alterius voluntatem inflectere nequis absolute ad executionem alieni facti obligari. Vnde cum factum alienum promittis spectato iure canonico & legibus nostri regni. leg. 2. tit. 16. lib. 5. noua collect. et leg. 1. tit. 1. par. 5. censuris promittente te diligenter curaturum, vel alter illud factum praestet, quod in tua potestate situm est. Quare si negligens fueris tenens ad interesse. Ut latius dixi tract. de matr. disp. 1. punct. 5. & videri potest Couarrua qui omnium optime explicat quibus in euentibus promissio alieni facti obligationem inducat. in relect. cap. quamuis patrum 2. p. §. 5. per totum.

Tertiò ex incapacitate promissarii possidendi promissum, & impotentia promittentis illud concedendi promissio nulla est: ut potè cui deficit finis & obiectum, qui est vnus in alium translatio. Vnde si rem sacram vel publicam promittas credens esse profanam, vel priuatum nulla est promissio. Ut habetur §. neque in pendenti et §. item contra insit. de inutil. stipular. neque inde aliam quam obligationem contrahis, nisi dolo promississes, vel in alterius rei accepta re compensationem, quia in euentibus obligaris ad interesse. Vt ex Gloss. §. 1. insit. de inutil. stipular. & Greg. Lop. leg. 2. tit. 11. par. 5. & communij Doctorum sententia aduertit Mol. tract. 2. disp. 1. 68. in fine. Quod si res sacra, vel publica aliqua ex parte promittentis sit, & promissarii esse possit valida erit promissio. Valide namque promittis calcen sacrum qui tuus est ob materiam, quia eius consecratio non impedit quin iure, & dominio illum possideas. Ut Glossa in dicto §. 1. Mol. supra aduertunt. Idem est dicendum de sepulchro, nam esto sepulchrum vtopotè locus facer possideri à laico non possit, & consequenter nec promitti, aut donari, bene tamen ius sepulchri id est in sepulchrum corpus defunctum inferendi, quia huius iuris possidendi laicus capax est. Ve bene notat alios referens Molin. loco citato. Ad idem est si promitteres liberum hominem, quem putas seruum, quia liber homo possideri vt seruus nullatenus potest. d. §. 1. insit. de inutil. lib. stipular. leg. regia 2. tit. 11. par. 5.

Quartò ex occasione peccandi redditur promissio irrita, quia haec cedit in praedictum boni communis, & rectum Reipublicae regimen. Vt esset promissio immunitatis ante delictum commissum. Secus vero si delicto commisso actionem iniuriarum remitteres, quia in priori euentu occasionem dares delinquendi, non autem in posteriori. Ut probat lex §. vnus §. illud. et §. pacta ff. de pactis leg. pacta quae Cod. de pactis, et leg. regia 2. tit. 11. par. 5. & tradit ibi Greg. Lop. Molin. disp. 271. §. ex primo capitulo Less. lib. 2. cap. 18. adub. 9. n. 22.

Quintò ex impotentia ad testandum redduntur promissiones irritae. Vt est promissio instituendi haerem vel dandi centum, si ipsum non instituas, non renocandi testamentum, vel illud non concedendi, quia haec impediunt libertatem saltem ex parte liberè testandi. Ut colligitur ex leg. stipulatio hoc modo ff. de verb. oblig.

Sextò ex periculo captandae mortis redditur promissio, & conuentio de bonis alicuius tertij viuentis irrita. leg. fin. Cod. de

pactis. Etenim si promitteres, Titio daturum aliqua bona à Caio possessa, cum ad te peruenirent, ea promissio nulla est vtopotè quae praebet tibi & Titio occasionem captandae mortis Caio.

Septimò ex libertate matrimonij promissio solvendi parum sponsalibus appositam nulla est. cap. gemma de sponsalib. Quoties autem est si haec promissiones quae sunt irritae eo quod praebent occasionem delinquendi, adimant libertatem testandam, viam aperiant proximo mortem captandi si iuramento roborantur exequenda sunt. Nam de iuramento potest sponsalibus appositio satis suo loco diximus.

Molina tract. 2. disp. 271. post medium, censet praedictas promissiones iuramento firmari, eo quod nullam iniquitatem contineant, & generaliter affirmat iuramentum quamlibet promissionem firmare iure civili irritam, nisi ipsum iuramentum iure etiam politico irritetur.

Ceterum est verissimum se obligare iuramento de re cuius executio nec lege naturali, nec politica prohibetur, tamen peccatum, & obligatio illius exequenda prohibetur, & irritatur. At hoc opus & labor est quae censentur prohibita, & quo. Plerumque namque existimo ea iure naturali prohibita esse quae occasionem peccandi, & praedictandi tertio tribuunt, quia ratio congrua non est ea praestare, ideoque iuramentum de non denuntiando delinquentem regulariter bonum esse non potest, quia saepe denuntiatio conuenit, & necessaria est. Et idem est de iuramento donandi bona possessa ab aliquo tertio cum ad te peruenirent, quia ipse illorum bonorum animam captandae mortis inducit. Atque ita tradit in alio simili plures referens Gutier. de iuram. cap. 6. num. 4. vsque in finem. Secus vero dicitur de promissione non renocandi testamentum, instituendi haerem, donandi omnia bona, quia haec in solius promittentis praedictum cedit, nullumque peccatum continet, neque occasionem peccandi tribuit, nec rem inutilem faciendam proponit. Vt ex his quae diximus. tract. 2. de iuram. punct. 3. et 8. colligitur.

Facto tamen iuramento praedicto cum solum Deo ius acquiratur, & promissionis vitium non purgetur, relaxari à praetore potest, quia non firmat promissionem, sed solum adhaerentem de futuro. iuxta ea quae diximus. dicta disp. de iuram. punct. 9.

PUNCTUM XII.

quibus in euentibus licitum sit promissionem acceptatam non exequi?

1. Nulla est obligatio, si res promissa reddita est impossibilis, illicita, aut vana.
2. Superueniente eadem mutatione rerum, vel personarum, quam prudentes iudicant si tempore promissionis tibi occurreret, cessare obligationem.
3. Ex eo quod non attendis, nec penetraveris difficultates rei promissa excusari à promissione non potest.
4. Obligatio liberali accedere solum obligatio iustitiae.
5. Suspensio promissionis obligatio, si vicissim promissarius tibi re promissit, et non implet.
6. Cessat promissionis obligatio, si cessat causa finalis illius.

Primo conueniunt omnes doctores, vt videre est apud Caetan. 2. 2. q. 113. art. 1. sub finem. Molin. tract. 2. disp. 271. initio Lessum lib. 2. cap. 18. adub. 10. si res promissa reddita sit impossibilis illicita, aut vana nullam esse illius exequenda obligationem, quia esset obligatio bonis moribus adiecta coepta regulam non est obligatorium. de reg. iuris in 6. et leg. pacta 6. Cod. de pactis, ibi Pacta quae contra leges, constitutiones, vel contra bonos mores sunt nullam vim habere indubitanter iuris est.

Secundò Communior sententia docet superueniente eadem mutatione rerum vel personarum, quam promittentes iudicant, si tempore promissionis tibi occurreret nullatenus promissuram, cessare promissionis obligatio quae solum esse potest in casibus sub tua voluntate comprehensis. Sicut obligatio legis solum est circa casus à legislatore comprehensos, non vero circa illos qui per episcopiam censentur excepti. Sic tradunt Caetan. Molin. Lessum et Sanchez lib. 1. d. disput. §. num. 43. Gutier. de matr. cap. 5. num. 13. Quod verum habet esto promissio iuramento firmata sit, quia iuramentum roborat promissionem in eo senta quo promissio facta est, sed non in alio, vt colligitur ex cap. quemadmodum de iureiurando, & notant praecitati Doctores.

Ex eo autem quod non attendis, seu non penetraveris difficultates rei promissae, quae si tibi promissionis tempore occurreret non promississes, excusari à promissionis executione non potes, quia id tuae culpae imputandum est, & voluntate omnes illas amplexus fuisti promittendo rem cui per te, & non per accidens annexatur, aliis plurimi religione promittentes excusarentur. Quod admitti nequit. Ut rectè aduertit Mol. d. disput. 272. §. quarium.

Contingit verò saepe obligationi liberali rei promissae solutio, sed superueniente finalis obligationem iustitiae, eo quod non fuerit

factis tempore congruo promissionem executionem cum possit. Quo casu si postmodum in egestatem devenias, vel res promissa fortuito pereat non excusaris ab obligatione solvendi illius affirmationem, quia haec obligatio non ex promissione liberali, sed ex iustitia orta est. Sicuti recte aduertit Mol. d. disp. 272. §. sunt vero Less. dicto dub. 10. n. 74.

5 Tercio suspenditur obligatio, si promissarius tibi vicissim promittit, & promissum exequi nolit. Potes enim quasi in pignus, seu compulsionem tui crediti quod ipsi promittis retinere. Praeterea quod nolens stare promissis se indignum reddit, ut cum illo liberalitatem exerceas. Ut bene Molin. d. disp. 272. in fine Less. lib. 2. cap. 18. dub. 10. num. 75. & pluribus comprobatur Gutier de iur. am. cap. 10. n. 3. Sed an promissionem executioni mandata renouare possis, eo quod promissarius suam promissionem non impleat, infra examinandum est.

6 Quarto cessat promissionis obligatio, si cesset causa finalis illius. Ut si in remunerationem alicuius beneficii quod creditur tibi impensum rem promittis, cum tamen impensum non sit cessat promissio. Item si cessaret paupertas in cuius subsidium promissio facta est.

PUNCTVM XIII.

Quid sit donatio, & de differentia donationis inter viuos à donatione causa mortis?

- 1 Quid sit donatio, & quotuplex? Respondetur remissive.
- 2 Quid sit donatio inter viuos, quid donatio causa mortis.
- 3 Dupliciter donatio causa mortis concipitur.
- 4 Donatio mortis causa praestari potest absque traditione rei donatae, vel traditione subsequuta, & de illarum differentia.
- 5 Donatio causa mortis conuenit cum contractu inter viuos, & cum legato.
- 6 Qualiter ab his differat?

1 Hucusque actum est specialiter de promissione quae ipsam donationem pro obiecto habet, superest vt de ipsa donatione habeamus sermonem, de qua oportebit inquirere quid sit, & quotuplex, nisi de his satis in superioribus actum esset. Nam initio huius disput. punct. 1. diximus donationem esse doni concessionem, hoc est concessionem illius quod debitum ex iustitia non est, sed voluntate, & liberalitate donantis concessum. Cui liberalitati non repugnat gratitudo, & meritum remunerationis, cum solum ex honestate, & non ex necessitate debita sit. Insuper explicari aliam esse donationem imperfectam, aliam perfectam, appellauit quae est absque traditione, perfectam quae traditione completur. Quae libet ex his donationibus concipi potest absolute vt sub modo, & in diem incertum vel certum, sub honesto fine, & causa, vel absque vlla causa. De quibus differentiis praeced. tract. actum est à punct. 6. §. seq.

2 Reita explicanda quaedam donationis diuisio satis vltata in donationem inter viuos, & donationem causa mortis, de quibus leg. 1. & leg. Senatus. ff. de mortis causa donation. Donatio igitur inter viuos quaeque propriissime nomen donationis sibi vendicet est quae alteri viuenti bona aliqua rei sua ad illa irrevocabiliter concedit. Donatio vero causa mortis, cum ea post tuam mortem habenda reuocabiliter donas. Quare ea est praecipua differentia donationis causa mortis à donatione inter viuos, quod donatio inter viuos si perfecta sit reuocari non possit ex sola voluntate donantis. Secus vero donatio causa mortis quam praematura mors donatarij, vel donantis penitencia reuocat. iuxta leg. mortis causa, & seq. ff. de donat. causa mortis.

3 Concipi potest haec donatio mortis causa dupliciter. Primo sub conditione expressa, vel tacita mortis praesentis: vt si mortis proximus dones casu quo mors eueniat qua non eueniente euanescit donatio, quia sub ea conditione facta fuit iuxta leg. 2. & leg. si mortis causa, ff. de mortis causa donat. & tradit. Glossa libi. Anton. Gomez. 2. cap. 4. n. 19. Couarruu. Rub. de testam. 2. p. n. 23. Molin. disp. 287. §. obserua deinde. Secundo absolute cum donas in tempus quo è vita discesseris. Quae donatio fieri potest vigente periculo mortis, si non ob illud tanquam ob causam finalem donatio concipiatur. Vt colligitur ex leg. Senatus. §. mortis causa, ff. de mortis causa donat. Oportet autem id satis exprimi, alias semper praesumitur non ob causam mortis absolute, sed ob causam mortis praesentis & imminens donationem factam esse. Vt habetur dicta leg. Senatus, & §. 1. vers. mortis causa instit. de donationib. & leg. fin. rit. 4. par. 5. & docet ex communi Anton. Gomez. 2. var. cap. 4. d. 19. Couarruu. Rub. de testam. 3. p. n. 23. Mol. tract. 2. disp. 283. §. obserua deinde.

4 Rursum haec donatio mortis causa praestari potest absque rei donatae traditione, vel traditione subsequuta. Si praestetur absque rei donatae traditione, subsequuta, morte donatarij, habet donatarius aduersus heredes actionem in rem, vt sibi donatum tribuatur. leg. inter mortis. ff. de mortis causa donat. Ad si interuentiente traditione donatio fuerit initiata à pacto traditionis donatarius

dominium rei donatae comparauit reuocabiliter tamen vsque ad donantis mortem, qua subsecuta dominium fitatur, & omnino irrevocabile constituitur. Excipit nisi ipse donans exprimeret se dominium rei donatae interim dum viuere retinere: quo casu donatarius pro eo tempore quasi depositarius esset. Vt colligitur ex leg. si mortis causa, ff. de mortis causa donat. & leg. idem fructus, ff. de iure dorum. & tradit ex communi. Anton. Gom. 2. 2. de contractib. cap. 4. n. 16. & 17. Couarruu. Rub. de testam. 3. p. n. 16. & 24. Molin. de Hispanor. primogen. lib. 1. c. 12. n. 5. Alter. Mol. disp. 287. post princ. Angulo de meliorat. leg. 1. Gloss. l. n. 6. Sanch. lib. 7. d. matr. disp. 1. n. 2.

Porro donatio causa mortis conuenit cum contractu inter viuos, & cum legato, seu vltimae voluntatis dispositione; plus tamen accedit ad vltimas voluntates quam contractus. Vt habetur leg. fin. Cod. de donat. causa mort. & instit. de donat. in princ. Nam cum contractu, seu donatione inter viuos conuenit quoad eius initium & productionem, eo quod ad sui constitutionem donatarij acceptatione indigeat. leg. inter mortis. ff. de mortis causa donat. conuenit autem cum legato, seu dispositione vltimae voluntatis. Primo quoad solemnitatem testium, vt iidem testes qui ad conficiendum codicillum requiruntur pro donatione causa mortis adhibeantur, ne aliqua fraus interueniat aduersus defuncti bona qui se defendere non potest. leg. vlt. Cod. de donat. causa mortis. Secundo conuenit quoad reuocationem. Sicut enim legatum morte legatarij ante legantis mortem vel ipsius legantis penitencia reuocatur, sic reuocari potest donatio causa mortis. leg. mortis causa leg. si mortis causa & aliis, ff. eod. Tercio: ex donatione causa mortis, sicuti ex legato falcidia debetur. leg. cum patet. §. eor. ff. de legatis 2. leg. si mortis Cod. ad leg. Falcid. Quarto perinde ac legatariis competit donatariis, ius accrescendi duobus causa mortis donatum est. leg. vnic. §. vbi autem & §. haec autem. Cod. de caduc. tollendis. Quinto capacitas, seu aptitudo donatarij non spectatur tempore conceptae donationis causa mortis, sed tempore mortis donantis, quia tempore effectum habet. leg. 1. §. sed et si filius familiaris iuxta Gloss. ff. de leg. 1. Et eodem modo capacitas ad donandum causa mortis spectatur tempore mortis ipsius donantis, vt inquit Glossa in supradicta leg. Sexto si donatio facta est in codicillo vel in testamento rupto testamento, vel codicillo donatio sicuti & quodlibet aliud legatum euanescit. Sicuti pluribus comprobatur Aluar. Valasc. consult. 61. n. 7. quod tamen plene certum non est. Septimo donatio causa mortis esto excedat summam 500. solidorum infirmatione non indiget, sicuti ea non indiget legata. leg. vlt. Cod. de donationib. causa mort. Octauo conditiones impossibiles sicut ab vltimis voluntatibus liberantur, sic etiam à donatione causa mortis. leg. que sub conditione. §. & in mortis. ff. de conditionib. institut. Nono in donatione causa mortis, sicuti in aliis dispositionibus vltimarum voluntatum locum habet cautio Mutiana. Authent. de nuptiis. §. qua vero nunc. Vide de iis latius Anton. Gomez. 2. cap. 4. n. 16. & seqq. Mol. de Hispanor. primogen. lib. 1. cap. 12. & lib. 4. c. 2. n. 45. & 46. & seqq. Mol. Tesur. tract. 2. disp. 288. ab initio. Paul Layman lib. 3. sum. sect. 5. tract. 4. cap. 12. num. 4.

Verum esto in supradictis cum donatione inter viuos, & cum dispositione vltimae voluntatis donatio causa mortis conueniat, in aliis tamen differt. Nam à donatione inter viuos distinguitur ex his omnibus quae cum dispositione vltimae voluntatis similitudinem habet. A dispositione autem vltimae voluntatis differt tum in acceptatione donatarij, quae dispositioni vltimae voluntatis necessaria non est, bene tamen donationis in acquisitione nam donationis acquisitio non pendet ex additione hereditatis, sicuti pendet legatum, sed eo ipso quod donans obit, dominium rei donatae donatario competit, potestque eam vbiunque sit vendicare, si res fuerit donata in individuo. Si autem in individuo indeterminata sit, competit conditio aduersus heredes, seu hereditatem iacentem. leg. si quis argentum. Cod. de donationib.

PUNCTVM XIV.

Quando censetur donatio inter viuos, quando causa mortis?

- 1 Refertur haec cognoscere.
- 2 Ex donantis intentione haec distinctio desumenda est.
- 3 Si donatio concepta sit absque vlla mortis mentione non est censenda donatio causa mortis.
- 4 Negant plures, si donationi causa mortis adiaceres pactum non reuocandi constitui donationem inter viuos.
- 5 Verius est conueniri in donationem inter viuos.
- 6 Soluuntur fundamenta opposita.
- 7 Ex eo quod donans promiserit se non contrarium donationi causa mortis non constituit donationem inter viuos, quidquid alij dixerint.

Refert maxime notum habere quando donatio causa mortis, quando inter viuos censenda sit, cum vna ab alia longe differat, dissimileque effectus habeat.